nervulos demulcendi virtutem obtinent. Remedio tamen ejusmodi generali semel vel aliquoties exhibito adjungi simul debent *Mixturæ cardiacæ*, aut *Opiatæ confortantes*, quarum Formulæ inter Bezoardica superius extant: earum enim ope Veneni particulæ sensim è corpore penitus excluduntur, partiumque sive fibrarum læsarum tonus naturalis restituitur.

TITULUS I.

De Antidotis specialibus Venenorum mineralium.

§. 1.

INter *Venena mineralia* primum locum damus *Calci vivæ*, cujus particulæ alcalino-acres à menstruo Ventriculi in tumultuantem motum exagitatæ, deleterias in corpore vires exercere solent. Huic itaque Veneno destruendo conducunt *butyrosa*, *mucilaginosa* atque *viscida* omnia, largis dosibus exhibita. Inprimus hic commendari solent *Lac caprillum integrum*, frequentius affatim haustum, *Bolus Armena*, *Terra Lemnia*, similesque aliæ *Terræ* ad ℈ij. in Lacte propinatæ. Et quia Venenum hocce Dysenteriam post se trahere potest, huic symptomati occurretur *Clysteribus* ex *Decocto Hordei viscido*, item ex *Decocto Malvæ*, *Althææ*, *Scorzoneræ*, *Symphyti*, *Lactucæ*, *Parietariæ*, *Cochlearum* vel *Cancrorum vivorum contusorum*, Capitis & Mesenterii ovilli. *Venena mineralia.* *Calx viva.*

§. 2. Quod si *Gypsum* qualicunque modo fuerit assumtum, Medicus in principio statim accedens Vomitum procurabit, exhibito *Radicis Ipecacuanhæ pulvere*, postea verò *Lubricantia* & *mucilaginosa* largis *Gypsum.*

largis dosibus exhibebit: specialius verò *Decoctum Herbarum Origani, Pulegii, Hyssopi, Majoranæ, Calamintha, Roris marini, Salviæ, Ozymi*, &c. cum *Oxymelite simplici* subinde haustum prodest.

Vitriolum. §. 3. *Vitriolo nativo*, maximè *cæruleo*, copiosius assumto eadem *Remedia mucilaginosa* & *viscida* opponuntur, quæ superius jam allegata sunt, excepto solo *Lacte*, cujus vicem supplebit *Lixivium* vel *Oleum Amygdalarum dulcium*, aut *Olivarum* affatim haustum, vel etiam *Emulsiones Amygdalinæ*, cum *Aquâ Plantaginis* inprimis factæ.

Aqua fortis, vel Polonica. §. 4. *Aquæ forti Regiæ*, vel *Aquæ Polonicæ* haustæ statim largæ potiones Aquæ fontis cum *Bolo Armenâ* sunt opponendæ: postea verò *Emulsiones Amygdalarum dulcium* non negligendæ, cum additione *pulverum Bezoardicorum*. Quòd si verò *Lixivium* vel *Aqua* quædam *muriatica* ad manus sit, statim cyathus eâ repletus ad præcipitanda salia corrosiva propinetur, hinc verò *Eclegma* sequens à Medico præscribatur.

℞. *Syr. de Semperv. maj.* ℥iß.
Jujubis ʒvj.
Mucilag. Sem. Cydon. Aq. Plant. fact. ℥ij.
Aqu. flor. Acac.
Borrag. ana ʒvj.
Cinam. cydoniat. ℥ß.
Essent. Croc. ℈j.
Bol. Armen. ppt.
Unicorn. fossil.
Antimonii diaphor. ana ʒj.
M. f. Eclegma frequenter lambendum.

Ad erosas fauces *Gargarismate* opus est, quo subinde fauces calidè eluantur.

℞. *Radic.*

℞. *Radic. Consol. maj.* ℥ß.
Fol. rec. Plantag. Mj.
Sempervi. maj.
Alth. ana Mß.
Flor. Ros. rubr.
Verbasc.
Ligustr. ana P.j.
Semin. Cydon.
Psyll. ana ʒiß.
Inc. & cont. coq. in s. q. Aq. font. Colaturæ expressæ ℔ß. *admisce*
Mell. rosac. ℥ij.
Roob. dianuc. ℥j.
M. & gargarisetur subinde Palatum tepidè.

Sed & *Mixtura cardiaca* ordinanda est sequentem vel similem in modum.

Vel ℞. *Aq. Plantag.*
fl. Samb.
Sanic. Borrag. ana ℥j.
Cinam. cydoniat. ℥ß.
Syr. fl. Tunic. ʒvj.
Confect. Alkerm. compl. ʒj.
Crystall. alb. ppt. ℈iiß.
Antimonii diaphor. ℈j
Julep. rosac. ʒiij.
M. ad Vitr. Sumatur cochleatim.

§. 5. *Aës, Squamma Aeris, Flos Aëris, Aërugo Aëris, Aës ustum, Aurichalcum,* post *Vomitorium* in principio statim exhibitum pro specifico agnoscunt & admittunt *Tinctur. Rosarum* cum *Spiritu Salis* nonnihil *acidulam* redditam, cui tamen adjungenda veniunt Remedia in præcedentibus jam recensita. *Æs, Squamma aeris.*

§. 6. *Antimonio* sive *crudo* sive variis modis præparato & corrosivo, in principio statim *Bolus* ex *Antimonium corrosivum.*

The-

Theriacâ, vel *Mithridatio*, aut *Electuario Diascordio* cum *Crystallo albâ pptâ* opponi potest. Sed & iisdem quoque horis vel *Oleosa*, vel *Lac* qualecunque frequenter hausta, assumti Veneni spicula quàm potentissimè obtundunt; quibus & superius recensita, nec non *Juscula avenacea* & *hordeacea*, *Gelatina C. C.* &c. jungantur. Sic & qui Antimonium laborando tractant, tutos se præstabunt à noxâ fumorum antimonialium, sicubi ante labores sem- *Butyrum recens* frusto *Panis* tosto superinductum comedant, non neglecto *Vini rubri* boni haustu. Alii etiam inter laborandum *Cremorem Hordei* fortiter naribus attrahunt, atque hinc per nares tantùm respirant.

Adamas. §. 7. Nonnulli *Adamantem* inter Venena interna quoque reponunt, quantum licet subtilissimè pulverisàtum, verùm difficulter primò in pulverem vertitur, & etiamsi versus sit, non aliter tamen operabitur, quàm v. gr. *Vitrum pulverisatum* & *deglutitum*, quâ ratione particulæ asperæ & acuminatæ talium rerum sese facilè intra villos membranularum nervearum insinuâre, ibi tenaciter obhærerə, atque paulatim Inflammationem, putredinemque inducere possunt, cum subsequentibus variis symptomatibus, Dolore scilicet præcordiorum, Passione colicâ, Deliquiis Animi, Syncope, &c. Contra hocce igitur Veneni genus primò omnium quadrat exhibitum *Vomitorium*, postmodùm autem *Absorbentia* & *Inviscantia* superius jam prolixè descripta in usum vocentur.

Arsenicum §. 8. Inter vehementissima Venena meritò referimus cum Viris doctis *Arsenicum*, sive *nativum* illud è Metallis prognatum, nunc *citrinum*, *Auripigmentum* dictum, nunc *rubeum*, *Sandaracha* appellatum; sive *factitium*, vel ex *Auripigmento* & *Sandarachâ*

darachâ mixtis per ſublimationem, vel ex *Auripigmento* & *Sulphure*, additâ ſubinde *Calce vivâ* atque *ſale*, ſimul invicem calcinatis confectum. Cui veneno ſpecialiter in principio ſtatim opponitur *Vomitorium*, ac poſt ejus operationem finitam ſequentia proficua dantur.

℞. *Conſerv. flor. Roſ. rubr.*
Tunic.
Betonic. ana ℥ß.
Elect. Diaſcord. Frac. ʒij.
Ocul. 69. *ppt.*
Antimon. diaphor.
Cryſtall. alb. ppt.
Ebor. ppt. ana ℈j.
Eſſent. Croc. ℈ß.
Syr. Violar. q.ſ.
M. F. Elect. *molle d. ad Oll. Doſis ſæpè Nuciſtæ magnitudo.*

Vel ℞. *Antimon. diaphor.* ℈iiij.
Corall. rubr. ppt.
Ungul. Alc. ppt. ana ℈ij.
M.F.Pulv. ſubt. in vj. *doſ. æq. m. ac v. ſumendae.*

Vel ℞. *Terr. ſigillat.* ʒj.
Antimon. diaphor.
C. C. ph. ppt.
Bezoard. miner. ana ʒß.
Ægagropil. ℈j.
Lapid. bezoard. occ. ℈ß.
Elæoſacch. Citr. ʒiß.
M. F. *Pulv. ſubt. in* viij. *doſ. æq. ad chart.*

Vel ℞. *Aq. Plantag.*
Burſ. paſtor.
Scord. ana ℥j.
Cinam. bugloſſat. ℥ß.
Syr. flor. Tunic.

Bellid. min. ana ʒij.
Confect. Alkerm. ℈ij.
Matr. perl. ppt.
Bezoard. miner.
Dent. Hippopot. ppt. ana ℈j.
Elæosacch. Aurant. ʒj.
M. ad Vitr. detur frequenter cochleatim.

His Remediis etiam jungenda ea, quæ mucilaginositate quâdam Veneni assumti spicula obtundere valent, quemadmodum superius jam plura indigitavimus. *Externè* sequens *Emplastrum* stomachi regioni interea applicetur:

℞. *Empl. de Crust. Pan.* ʒij.
Pulver. Myrrh.
Menth.
Absynth. ana ʒiß.
Flor. Rosar. rubr.
Mastich. ana ℈iiij.
Ol. Nucist. expr. ʒj.
dest. Menth. ℈ß.
Resin. & Cer. ana q. s.
M. F. Emplastr. tenax alutæ superinducendum.

Plumbum. §. 9. *Plumbum* vel *simplex* vel *ustum*, & quæ inde parantur *Cerussa*, *Minium*, *Lithargyrium*, propter *arsenicale Sulphur* minus digestum, suam etiam vim corrosivam & venenatam in nostrum corpus exercere valent. Quibus tamen Venenorum speciebus post procuratum arte vomitum *Theriaca* vel *Mithridatium* cum *Lacte*, *Butyrosis* & *Oleosis* prosunt; in quorum Remediorum usu tamdiu æger continuabit, donec sentiat, Venenum è corpore esse discussum.

Mercurius. §. 10. Succedit inter mineralia venena *Mercurius*, sive *vulgaris* & *vivus*, sive *sublimatus*, aut *præcipitatus corrosivus*. Etsi enim ex hoc Metallo egregia

egregia varia præparari possint Remedia, omnem seri sanguinei stagnantis coagulationem potentissimè resolventia, nihilominus tamen exhibet etiam summè nocivum virus, tantoque id magis, quando cum Salibus acidis corrosivus est redditus. Huic autem Veneno eodem modo occurrimus, quo Arsenicum destrui posse diximus. Quod si crudus sit assumtus, vel extus etiam Amuletis appensis poros corporis fuerit subingressus, tum ante omnia *Purgans* est exhibendum: v. gr.

℞. *Antimon. diaphoret.*
Bol. Armen. ppt. ana ℈j.
Sulphuris aurati Antimonii gr. ij. *vel* iij.
Fol. auri num. j.
M. F. Pulv. subt. detur pro dosi.

Vel ℞. *Pulver. fol. Majoran.*
Hyssop.
Rutæ.
Terr. sigillat. ana gr. v.
Scammon. sulph. gr. viij. *ad* ℈ß.
Fol. auri num. j.
M. F. Pulv. subt. pro dosi.

Post *purgans* statim *Bezoardica sudorifera*, maximè sub Decoctorum formâ sunt exhibenda; ubi præ aliis laudatur *Decoctum Plantarum aromaticarum & nervinarum*, v. gr. *Melissæ, Hyssopi, Origani, Salviæ, Abrotani, Rorismarini, Chamæpiteos, Pimpinellæ, Rutæ, Scordii*, &c. Quibus *Cardiaca* tam *Electuaria*, quàm alia superius jam descripta adjiciuntur. Imò sudor etiam in *Balneo Aquæ dulcis*, vel Laconico horum Remediorum ope procuratus valdè prodest.

§. 11. Si autem *sublimatus Mercurius* & *corrosivus* Ventriculum qualicuuque modo subiit, statim haustus *Lixivii* aut *Aquæ muriaticæ*, qualis supernatat *Brassicæ Sale conditæ*, propinatur, postea *Mercurius sublimatus corrosivus.*

verò ad præſcriptionem *Theriacalium*, ut & *mucilaginoſorum & Pulverum bezoardicorum* pergatur. Nonnulli pro *ſpecifico* hic admittunt partim *Cryſtallos albas*, ad ʒj. datas, partim *Oleum Tartari per deliquium* ad ʒij. cum vehiculo convenienti præſcriptum.

TITULUS II.

De Venenis Vegetabilibus atque eorum Antidotis.

§. I.

Opium. INter *Venena vegetabilia* primum locum meritò tenet *Opium*, quod licèt egregium & efficax Medicamentum doſi juſtâ exhibitum exiſtat, nihilominus tamen ultra doſin aliquot granorum aſſumtum ſomno perpetuo occaſionem dat, naturamque in operationibus ſuis vitalibus prorſus deſtruit. Quid verò Opium *propriè ſit?* Ex *quibus* principiis componatur? Et quando operetur? illud verò prolixius à *Celeb.* Joh. Georg. Wedelio in *Opiologiâ*, quin & à Michaele Ettmüllero, in *Diſſertatione de Opio* exponitur. Noſtri verò inſtituti hic eſt, ſpecificè ſolùm docere, quomodo Venenum quodvis deſtrui debeat? Quam ob rem in principio ſtatim, dum adhuc major portio *Opii* in ventriculo latitat, *Vomitorium* aliquod exhibendum, hinc etiam *Clyſteres* injiciendi; hac demum accedendum ad ea Remedia ſpecifica, quæ ſulphur illud Opii narcoticum potenter adoriri & deſtruere valent, qualia ſunt *Spiritus Salis armon. urinoſus*, vel ſimplex, vel *oleoſus* redditus, tam externè naribus applicandus, quàm intus etiam ad ℈j. ſubinde exhibendus.

Specifica